



M. ANTONII
SABELLICI,
RERUM VENETARUM
AB URBE CONDITA,
DECADIS TERTIÆ,
LIBER VI.



Ost Sforciæ digressum aliquandiu pax in Gallia fuit: interim vero res Venetæ haud omnino in ocio fuere, sed Picœni belli cura & Bononiensium motus tam diu eas sollicitas habuere, donec in Cremonesi bellum a Philippo sit renatum, quod longe inde lateque post illius obitum tota Gallia exarsit: sed de ejus causis & eventu aliquanto postea dicetur. Nunc vero, quando ita rerum ordo postulat, in iis, quæ partim domi, partim extra Italiam sunt a Venetis gesta, parumper immorabimur, quæ

1441
Bello ab Eu-
genio &
Philippo re-
nato, Sfor-
ciana opes
quadrien-
nio & am-
plius in Pi-
ceno jacta-
re, novissi-
me ex ea ter-
ra sublata
sunt.